



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

257. feria 6 documenta ad ea[m] fraternam charitatem eiúsque gradibus
fructibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CCLVII.

Fer. 6. Domin. 12. post Pentecosten.

De documentis ad fraternam charitatem, eiusque gradibus, fructibus.

Aspiciam Dominum IESVM fraternam charitatem ad perfectionem deducentem ex amore DEI, ut solis radij reflexi perficiuntur. Petam eam assequi.

Conf. 1. Documenta ad fraternam charitatem. 1. Fratrem non ut carnem, & sanguinem, sed ut imaginem Dei aspicere. 2. Eundem non ut alienum, sed ut mihi coniunctissimum cogitare, cuius prosperitas & adversitas mea est. 3. Fratrem molestum, & adversum non ut nocentem, sed commendantem habere. 4. Malevolentiam erga fratrem in corde non pati, sed pro eo preces DEO offerre. 5. Familiaritas nimia cum quovis, etiam sancto, tinea charitatis est, non charitas. 6. Si immoderatè fratrem amavero, ne de eius donis magis credam meæ cæcitati, quàm aliorum veritati. 7. Est temporales omnes despiciere res, earum enim amor sæpe fratres turbavit. 8. Vincere propriam voluntatem, eamque fratrum voluntati subijcere. 9. Abnegare proprium iudicium, nec meis definitionibus insistere: hæc enim origo discordiæ. 10. Charitati & con-

460 *Fer. 6. Domin. 12. post Pentecost.*
cordiæ nihil præponere, sicque sua negotia
peragere, ut fraternam charitatem non læ-
dant. 11. Nulla causa justa iram adversus
fratrem admittendi. 12. Si me non diu vi-
cturum cogitavero, molestias fratrum leni-
ter feram.

Conf. 2. Fraternæ charitatis gradum 1.
esse, quò amicos & inimicos ita diligimus,
ut nec opere, nec verbo, nec desiderio ullum
eis malum inferamus, ullamve injuriam,
Gradum alterum fraternæ charitatis esse,
quò tam amicos, quàm inimicos, beneficos,
& maleficos, ita complectimur, ut omne
bonum eis desideremus, & oblatâ facultate,
bona temporalia, & spiritualia impertimur.
Sicut enim læso proximo læditur Christus,
sic quod fit minimo propter Deû, fit Christo.
Fraternæ charitatis gradum 3. esse, quò ita
amicos, & inimicos amamus, & tantâ solici-
tudine eis mala cavemus, bona procura-
mus, ac si nobis ipsis, vel bona procuranda,
vel mala cavēda essent. Desiderabo hos gra-
dus, & cavebo, ne peccatum fratri permittā,
neque potens remedium adhibere dissimu-
lem, unde latius serpat, & convaleſcat, nisi
in fraternam charitatem velim delinquere.

Conf. 3. Fructus charitatis proximi. 1. Ne-
minem temerè judicare: non praesidem: quis
enim te constituit judicem judicis? ille di-
vino

Peria 6. Domin. 12. post Pentecost. 461

vino lumine regitur, quid tu huic tuum iudicium opponis? non æquales, inferior esve, nec enim horum iudex es; & ab omnibus omnia velle, est, ut pes videat, oculus ambulat, desiderare: *Excusa*, inquit Bernard: *Intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta surreptionem, puta calumniam, dic, vehementer fuit tentatio, quid de me illa fecisset?*

2. Fructus nemini obloqui verbo, contumeliam aut injuriam irrogando, sed absentium honorem tueri, presentium corda dulci & prudenti sermone lenire. 3. Fructus est, omnes opere & exemplo juvare. *Quid tuos aliud, quam te opinaris.* Tertull. lib. de Penit.

MEDITATIO. CCLVIII.

Sabbato Domin. 12. post Pentecost.

*B. Virgo Magistra universæ
Charitatis.*

Videbo in B. Virgine sicut in speculo, ut ipsa de se apud D. Brigittam loquitur, lib. 1. cap. 22. representatam, & expressam charitatem. Petam eam assequi.

Conf. 1. Inter alias virtutes, quibus B. Virgo ibidem S. Brigitta dicit, excelluisse se, fuisse charitatem; *Habui*, inquit, *præcipuam charitatem, pro qua sic appropinquat Deus mihi, ut qui videt Deum, videat me, & qui vides me, videre potest Deitatem & humanitatem in*